Michael Denis: Codices Manuscripti Bibliothecae Palatinae Vindobonensis Latini Aliarumque Occidentis Linguarum. Vol. II. Pars II.
Wien, 1800 Seite 1549
Quelle:
Copyright:

(Sergii) *et bachi. qui postea Innocencius papa tercius appellatus est.* Haec ante Indicem Capitum omnium III. *Librorum*, quem excipit Prologus ad *P. Portuensem* Episcopum, *Petrum* videlicet, ut docet chronologia, *Gallociam Rom.* Atque in hoc pro: *vilitatem humane nature — describam*, rite legitur *dignitatem.* Finit Opus cum Edit. quam *Vol. I. P.* I. *col.* 852. *Schoepflinianam* dixi, ubi et plura in rem praesentem.

II. *fol.* 25. succedit *Homiliarium* ἀδέσποτον in anni Dominicas a Dom. I. Advent. usque ad Dom. XXIV. post Pentec. cujus Sermo I. incipit: *Cum appropinquaret ihesus ierosolimis. Math. 21. Recepta vnctione in bethania a maria ante sex dies pasche id est sexto die seu sabbati ante pascha* &c. Non igitur in Evangelium *Luc.* 21. quod hodie Dom. I. Advent. legitur, licet cetera Evangelia cum hodiernis concordent. Sermones breves sunt, et in iis post alios Patres etiam *Bernardus* citatur.

DCLXIII.

R. 3331 Codex membraneus lat. Sec. XII. Folior. 56. 4. nitidissime exaratus et minio distinctus, quem Scheda inserta a *Luitholdo* Coenobita *Lunaelacensi* descriptum testatur, hoc Rubrum praefert: *Hugo* (nempe Victorinus) *de archa noe pro archa sapientię cum archa ecclesię & archa matris gratię;* quam postremam non B. Virginem, sed ipsam divinam gratiam intellige; hanc enim etiam L. II. *de Vanit. Mundi* edit. *Opp. Rotomag.* 1648. p. 273. *matrem* adpellat *Hugo.* Opus praesens, quod incipit: *Cum sederem aliquando in conuentu fratrum* &c. habetur *eod. Tomo* p. 298. sed, quid differat Editio a Codice, dicendum est. Libros illa censet IV. Codex vero V. Illa Librum IV. ita terminat: *et iocundantur mundi corde in contemplatione veritatis;* Codex autem ultra sic procurrit: *Breuiter dicturus eram, sed fateor uobis, multa me delectat loqui, et erat adhuc fortassis, quod dicerem, si uestrum fastidium non timerem. Nunc igitur ipsius archę nostrę exemplar proponamus, sicut proposuimus, quod exterius depingimus, ut foris discas, quid intus agere debeas, ut, cum huius exemplaris formam in corde tuo expresseris, domum dei in te ędificatam esse ląeteris.* Tum: *Explicit Liber IV. Incipit Liber V. de pictura archę.* Cum Codex *Hugonis*, qui a. 1140. obiit, tempora prope adtingat, non videntur haec absque autoritate. Mirum igitur, Librum hunc ab Editoribus avulsum et ceteris IV. ad p. 286. titulo: *Mystica Arcæ Noe Descriptio* praepositum fuisse. Initium ejus est: *Primum* (inutiliter interjectum in Edit. *ad mysticam Arcæ Noæ descriptionem*) *in planicie, vbi Archam depingere uolo, medium centrum quero* &c. Capitum distributio, ut in praecedentibus Libris, tota alia est, quam in Editis, et, ne quid dissimulem, Caput XIV. editionis *de Mansionibus*